

~~18~~

G.33. num. 8.
Dissertatione Juridica

~~24~~. 4.

**ACTOREM
AD AGENDUM
INVITUM,** 1709, 5
IN ILLUSTRI VIADRINA
P R Ä S I D E
PER ILLUSTRI AC GENEROSISSIMO DOMINO,
DN. HENRICO COCCEJO,

JCTO EXCELLENTISSIMO,
AUGUST. ac POTENTISS. BORUSSIÆ REGIS
CONSILIARIO INTIMO,
FACULTAT. JURID. ORDINARIO, & ANTECES-
SORE PRIMARIO,

*Domino, Macenati, ac studiorum suorum Promotore,
pio cultū, aeternū venerando,*

Ad D. IX. Mart. Ann. MDCCIX.
exhibit

JOH. HENR. SIMONIS, March.

*****!*****?*****

FRANCOFURTI ad VIADRUM,
Literis CHRISTOPHORI ZEITLERI.



*PERILLUSTRI
AC EXCELLENTISSIMO DOMINO,*
DOMINO
WOLFGANGO
LIBERO BARONI
DE
SCHMETTAU,
AUGUSTI BORUSSIÆ REGIS
Ministro Statûs Intimo,
& ad negotia cum Illustribus ac Præpot.
Ordinibus Belgiae Foederatæ componenda
cum liberis mandatis misso,
Domino in Königswalde & Mehrberg/
*Domino ac Mæcenati longe Cle-
mentissimo.*

VIR
PERILLUSTRIS atq; EXCELLEN-
TISSIME DOMINE BENI-
GNISSIME,

WOLFGANG

LIBERO BARONI

SCHMETTAT

AUGUSTI BORUSSI REGIS



Strorum syderumque , quæ im-
mensis spaciis ac intervallis à no-
bis remota sunt , splendorem ,
cum cœlo locata , atque in con-
spectu generis humani posita sint ,
qui non admiretur , atque vim eorum salutarem
& beneficam exoptet , & sentiat , nemo est , ea-
demq;

demq; majorem sui admirationem excitatura vi-
dentur, si cerni lustrarique oculis proprius possent:
Habent hoc ILLISTRUM VIRORUM, quorum vi-
giliis & curis Regnorum & Provinciarum ratio-
nes creditæ sunt, merita & virtutes cum astris
commune, quod in admirationem sui omnes
rapiant, & quemadmodum illa in terras nunquam
non exercent suam, ita hi juvandis promovendis
que honestis hominum conatibus delectentur.
Ego quidem, cum illam, quam PERILLUSTRI NO-
MINI TUO omnes debent venerationem ac reve-
rentiam fixam impressamque dudum animo ges-
serim, tum vero in magna felicitatis parte pono,
quod TE PERILLISTRIS ATQUE EXCELLENTISSI-
ME DOMINE venerari coram, & frui illo præsidio,
atque patrocinio mihi liceat quo illi apud Bata-
vos fruuntur, qui in AUGUSTI BORUSSIÆ
REGIS imperio atq; Provinciis nati sunt. Addes
interea hoc unum DOMINE BENIGNISSIME BENI-
GNITATI TUÆ, qua omnes & singulos complecte-
ris & non solum hoc qualemunque profectuum

Acade-

Academicorum specimen, quod ex Academia
patria discedens PERILLUSTRI NOMINI TUO dica-
ri, pro innata Tibi facilitate sed & pia vota su-
scipies ut TIBI, quoad vives, vives autem pre-
cor diutissime, Deus REGIS AUGUSTI volun-
tatem, amoremque illum quem meruisti virtuti-
bus Tuis Batavorum, constantem ac perpetuum,
nominis vero gloriam immortalem, mihi in Te
obsequium indefessum Tibi illam quam merebor
in me propensionem, & illud præcipue, quo læ-
tor nomen, præstet proprium, esse me

PERILLUSTIS atq; EXCELLENTIS.
SIME DOMINE
DOMINE BENIGNISSIME

PERILLUSTRI NOMINI TUO

JOH. HENR. SIMONEM.



CLASSIS I.
DE
JUDICIO ET ACTORE IN GENERE.
SUMMARIA.

- §. 1. *D*e voce judicij ejusque determinationibus agitur, id contra Grotii, um assertur juris naturalis esse.
- §. 2. Refutatur Grotii opinio rationibus.
- §. 3. Recensentur personæ principales judicium constituentes actoris & rei.
- §. 4. Actor sœpe nomen mutat, & imploratione officii judicis utitur, ubi de remedio provisinalibus.
- §. 5. Mulieribus quoque similis imploratio competit, it. Curatoribus & tutoribus.
- §. 6. Distinctio actorum rerum privatuarum & publicarum.
- §. 7. Et servi & liberi diverso respectu nomen actorum sortiuntur.
- §. 8. Constituuntur quoque alii actores à tutoribus & Curatoribus, non vero à matre.
- §. 9. Quænam personæ valide agere possint, & quomodo hodierni subditi agere soleant.
- §. 10. Recensentur porro personæ quibus agendi facultas competit.
- §. 11. Quæ actas in procuratore requiratur, ubi dissensus juris Civilis & Canonici.

A

§. 12.

(2.)

§. 12. Actor semper preparatus in facilius in expensas condemne-
judicium venire debet, & cur tur quam reus.

§. I.



Udicii vocem ejusque determinationes in jure Civili existentes, compluribus juxta homonymiam examinare, easque prolixis verbis enarrare, præsentis instituti nostri ratio penitus prohibet, hinc curiosum hac in parte lectorem mittimus ad Tractatum D. Brissonii de Verb. Signif. sub voce *Judicium*. Nobis saltem sufficiat, judicium esse intueri mente, qua capitur pro personis judicium ipsum simul constituentibus, uti sæpe Senatus sumitur pro Senatoribus L. ult. §. f. C. de Appellat. Quo sensu respectu originis judicium quoque est ipsius juris naturalis, quicquid in contrarium disputaverit vario & operoso conatu doctiss. Grotius de J. B. & P. L. I. cap. 3. §. 1. n. 2. ubi judicia publica non à natura, sed à factis humanis esse statuit, adeoque fontem judicij juri alicui positivo deberi sine sufficienti juris fundamento tradit.

§. 2. Salva itaque autoritate Hugonis Grotii, contrarium verius videtur, & à Perilluстр. Dno. Præside in electionibus Grotianis accuratissime demonstratum est, jus judiciorum à natura esse, quia & Magistratus est à natura & ad jura regenda eaque contra invitatos exequenda, necessario in terris potestas aliqua existere debet, quæ quantum ad jus naturæ toti generi seu societati humanæ, eaque in plures civitates distracta, cuique civitati libere hactenus competit. Indubitata quoque hanc esse sequelam, firmissimo

(3.)

simo argumento docetur, ex medii necessitate de-
sumto, sine quo enim justitiae seu officii Magistratus
effectus non esset, illud est à natura, sine judicio au-
tem ejusve examine & executione, nullus esset justi-
tiae officiique Magistratus effectus *L. 2. §. 13 ff. de Orig.
Juris.* Hinc rete contra Grotium cit. loc. urget Ro-
bertus, judicia in se spectata originem ac autorita-
tem suam Dei debere voluntati. At alia quæstio es-
set respectu electionis & constitutionis certi judicis
seu formæ judicij: hæc enim à factis mortalium pen-
det, atque juris positivi vel etiam Gentium secunda-
rii esse dicitur.

§. 3. Inter personas autem principales judicium
formantes non tantum recensetur judex, sed & auctor,
& reus, ille in judicio in primis supponitur, adeo ut
eo deficiente, judicium ipsum exerceri nequeat, &
commune exinde ortum sit proverbium: ubi nullus
auctor, ibi nullus judex, nullumque judicium est. Stat
igitur regulariter in arbitrio actoris, agere, an vero
jus suum dimittere, & adversario remittere malit.
Quod longe aliter se habet cum reo, qui alias nomen
fugientis fortitudinis in *L. 13. §. 2. & 3. C. de Judic. & L f. inf.
pr. & §. 3. C. de Bon. que lib.* Hi enim contra voluntati-
tem nolentes volentes se sistere in judicio, rationes
reddere, justitiaeque plene satisfacere tenentur.

§. 4. Auctor hic ex sensu juris communis sæpe
in foro nomen suum mutat, v. gr. si propria auctor in
jure determinata non invenitur, nec a Prætore da-
tur, sed saltem superest imploratio officii judicis, quæ
implorationes sæpe preparatoria principalis judicij
dicuntur, inde auctor quoque nomine implorantis in-
venitur. Exemplum est in querela inofficiosi te-

A 2 stamen-

stamenti, illa enim nec actio, nec exceptio proprie
vocari meretur, sed potius & accurate loquendo tan-
quam imploratio officii judicis instituenda est *arg. pr.*
Instit. de Inoff. testam. L. 27. §. 3. ff. eod. Perilluſtr. Coccej.
Hipomn. n. 2. it. in Lection. Lauterb. ad Tit. de inoff. testam.
vel etiam in casu, quo ut vocant, provisionale seu
interimisticum decretum petitur, nempe si implora-
rans ex causa aliquam æquitatem præ se ferente,
quid petat, atque appareat, aliquid ex æquo & bono
adhuc præstandum esse, v gr. si quis stuprum se com-
mississe quidem fatetur, sed hoc non obstante, se pa-
trem esse negat, ubi mediante imploratione, ad ali-
menta præstanda pro re nata decretum ab imploran-
te peti lolet.

§. 5. Simile itidem exemplum exhibetur in
L. 35. ff. de Minoribus, ubi imploratur restitutio in
integrum &c. *L. 86. ff. de Acquir. vel omitt. hæred.* *L. 6.*
C. de integr. restit. & aliud iterum exemplum inveni-
tur in *L. 39. §. 9. ff. de Administr. vel peric. tut. vel Curat.*
ubi Curatores vel tutores inutiliter testamento dati,
nec confirmati, sponte officium suscepereunt, & præ-
cipitur ibi, ut idoneus decretum Prætoris, quo vali-
da sit curatela curatoris imploret, *Add. L. 2. C. de*
Compensat. ubi compensatio per implorationem quari-
tur.

§. 6. Præterea in jure extra regulares & ordi-
narios actores alii singulari titulo hoc denominati in-
veniuntur, & dividuntur eapropter in actores rei pri-
vatæ seu rerum privatuarum, & actores rerum publi-
carum seu Principum. *L. 9. C. ubi caus. ffo. vel div.* &
L. 3. §. à municip. ff. de Bonor. Possess. L. 5. §. si alteri. ff.
de Pecun. Conſtit. & *L. 11. §. Hoc jure ff. de Except. rei jud.*
fupr.

(5.)

supr. cit. Briffon. de Verb. Signif. sub voce: agere. sic enim actores bonorum fisco vindicatorum videri possunt in L. 8. ff. de Jure Fisci & L. 30. ff. eod. Tales quoque occurruunt actores municipum & Universitatis de quibus loquitur L. 12. ff. Ut in possess. legat. L. 11. §. Hoc jure ff. de Except. rei jud. it. L. 10. ff. qui manumitt. ff. de in jus vocand. & L. 6. §. ult. ff. quod cuiusque universit.

§. 7. Alias alii adhuc nomine actorum apud Romanos signabantur, nimirum ipsi servi, qui rationes dominorum agebant, atcumque aliquem gerebant, uti ostendit. L. 18. §. Posthumis ff. de Alim. vel cib. legat. & L. 12. ff. de Liberat. legat. L. 19. de Administr. & peric. tut. & L. 49. 59. & 94. §. 1. ff. de Solut. & similes actores παραποτηται dicuntur in L. 41. §. Sorore ff. de Fidei commiss. hered. Proinde hujusmodi Servos strikte obligatos fuisse dominis suis ad rationes reddendas docet L. 8. ff. Famil. Ercisc. L. 8. ff. de Liberat. legat. atque ita alii actores etiam liberi homines appellabantur qui servos tam mutuis dandis, quam exigendis & recipiendis pecuniis præpositos habebant L. 5. §. Actores ff. de Doli mali & metus except. L. 19. C. de Solut. & hi quæ exæcta erant, Calendario inferebant L. 40. §. Servus ff. de Stat. liber.

§. 8. Tandem aliud quoque genus actorum in jure invenitur, qui ad litem à tutoribus & curatoriis decreto Prætoris constituuntur §. ult. Instit. de Curat. L. 33. §. ult. ff. de Administr. & pericul. tut. L. 11. C. de Procurat. L. 10. §. ult. ff. de in jus voc. Constitui vero hi actores solebant tutorum periculo & damno, quando vel diffusa erant tutelæ negotia, vel tutores dignitate, ætate, valetudine, vel alio impedimento ipsi litibus interesse non valebant L. 24. ff. de Adm. &

A 3

Peric.

Peric. tut. quod aliquando necessum erat, ut si pupillus infans aut absens, nec adeo constituendi procuratoris copia fuerit L. 24. ff. de *Adm.* & *peric. tut.* At quamvis certo respectu mater quoque filii negotia secundum voluntatem patris gereret, jus tamen actoris periculo suo litium causa constituendi non habebat L. 31. §. *Quanquam ff. de N.G.*

§. 9. His autem jam præmissis, quærendum erit, quænam personæ valide agere possint, & quænam impedianter, ubi vero statim generale principium notandum, hodie in judicio agere posse: qui 1. Pacisci. 2. Alienare & administrare valent: olim qui ci-
ves non erant, facultate agendi quoq; carebant arg.
L. 9. junt. L. 39. ff. de *Oblig.* & *act.* Non ergo agunt de
jure Civili ob itatum personæ servorum per L. 6. C. de
Jud. & 107. de *R. f.* quod tamen hodie de hominibus
propriis glebae adscriptitiis, Cosfatis, et sim. dicendum
non est dum libertate, ita ut servi Romanorum pri-
vati non sunt, et si eadem valde sape restricta sit.
Hinc cum effetu convenienti dominos & sine solenni
veniæ impetratio, ubi tamen notanda praxis hodi-
erna, quod in ipsa supplicatione pro impetranda ci-
tatione aliquo modo veniam petere soleant v. gr. hac
formula: Ob ich zwar ungern zu dieser Klage schreite/
gestalt die Sache meine eigene Herrschafft betrifft/weil
ich aber auff keiner anderen weise des Meinigen habhaft
werden können/ so bedinge hiemit *solennissime*, daß ich
mich hiedurch/ dem unterthänigen *respect*, womit ich
meiner Herrschafft verbunden bin/ keines wegnes entzo-
gen/ sondern vielmehr hochgeneigte Vergünstigung ge-
suchet haben wolle. Idem observari solet, si parentes
à liberis, qui amplius non sunt in patria potestate, aut
ratio-

ratione bonorum, potestatem agendi habent L. 4. ff. de
Judic. convenientur.

§. 10. Eadem agendi facultas non conceditur banno imperiali proscriptis et sim. his enim scelestis hominibus, nec jura nec beneficia juris amplius in terris Imperialibus competunt L. 2. C. de Bon. proscript. et si ea, quæ juris Gentium sunt retineant Conf. L. 15. ff. de Interd. & Relig. & L. 22. §. 5. ff. Mandat. Ita quoque agere impediuntur mente capti, furiosi, infantes, pupilli, minores, & prodigi, sed hi omnes vel autoritate & consensu tutelari & Curatorum in judicio jus suum, vel hi eorum nomine saltem persequi posunt L. 5. ff. de R. & J. L. 1. 2. C. 9. legit. person. stand. in jud. hab. Et denique propter patriam potestatem liberi contra parentes eodem modo agere nequeunt L. 4. L. 11. ff. de Judic. & L. 8. C. de in jus voc. exceptis castris peculiis d. L. 4. L. 4. ff. de Castr. pec. Hodie vero ratione aliorum quoque bonorum ac iurium suorum actiones in parentes movent Grænv. ad d. L. 4. ff. de Judic. Jure Würtenbergico & Saxonicō mulieres quoque sine litis curatoribus judicia cum effectu non frequentant, quod vero apud nos non attendit.

§. 11. Agit quoque regulariter auctor per procuratorem mandato instruetum, hodie etiam in causis injuriarum seu criminalibus Ord. Crim. art. 12. quod olim non nisi illustribus indulsum fuerat juxta L. f. C. de Injur. de quo procuratore tamen iterum notandum, eum jure canonico & hodie in foro necessario maiorem 25. annis esse desiderari per Capit. 5. de Procurat. in & quod & jure Romano ad defendendum regulariter valuit L. 12. C. de Procurat. quamvis ex mandato alteri-

-AMMUS

(8.)

alterius eo jure etiam minores post 17. annos admissi
fuerint L. 13. ff. de manumiss. vindict. §. 5. Instit. quib.
ex caus. manumitt. non lic.

§. 12. Ultimum in hac classe adhuc de auctore
monendum ipsum omnino teneri præparatum venire
in Judicium L. 42. in f. ff. de R. J. cuius ratio inveni-
tur in L. 5. §. f. ff. de Doli mal. excepti & L. 2. C. de Di-
lat. Magis quoque justa litigandi causa requiritur
in auctore, quam reo, ut excusetur ab expensis, rei
enim partes magis favorabiles sunt, quam actoris, qui
sua sponte causam liti dedit eamque viam elegit. Il-
le ergo antequam litem movere incipit, subtilius de-
liberare debet, cum sit in potestate ejus, quomodo
& quando velit experiri Mev. P. 8. Decis. 134. ne se-
cus faciendo temere in jurgia ruat, in expensarum
condemnationem incidat, ut & damnorum Mev. P. 3.
decis. 128. Mota quoque semel actione a lite pro lubitu
desistere non potest auctor, sine condemnatione in
expensas, nam auctoris à processu desistentis poena est
in expensas condemnatio, ut temere litigantis L. 13.
§. 2. C. de Judic. & male sibi conscius liti cessisse præ-
sumitur per C. per tuas X. de Simon. ideoque tacite con-
fiteri tum suam injuriam tum jus adversarii arg. L.
si advers. C. de Fid. instrum. & L. 9. Rem non nov. C. de Ju-
dic. & L. 10. ff. eod.

CLASSIS II.

DE

REMEDIО ex L. 28. ff. de Fidejusl.

SUMMA-

(9.)
SUMMARIA.

- §. 1. Actor s̄epius invitū agit.
 §. 2. Confundī s̄epe remedium L.
 28. ff. de Fidejusl. cum L.
- §. 3. Objectio; ex dd. ll. non
 apparere talia remedia, neq; novi quid in iis statui.
- §. 4. Remedia illa videri à ju-
 re plane aliena.
- §. 5. Responso: optima ratione
 illa nitit, quia ex jure ulro
 fluunt, & ex omni jure re-
 medium juris datur.
- §. 6. Hinc sine injuria reum
 impediri non posse, quo mi-
 nus id jus sibi asserat.
- §. 7. Ostenditur in utriusq; le-
 gis specie jus reo natum es-
 se, cuius defensio naturali
 quoque ratione absq; speci-
 ali lege competere.
- §. 8. Idq; prædictis legibus non
 constitutum sed expostū esse.
- §. 9. Redditur ratio, cur alias
 reo pro exceptionibus suis
 non dentur actiones.
- §. 10. Falsum est, quod L. si con-
 tendat creditorem ad agen-
 dum contra fidejusorem
 compellat.
- §. 11. Ex ipsis quoq; verbis d.
 legis ostenditur, fidejus or-
 rem ultro agere posse.
- §. 12. Non ad solam divisionis,
 sed ad omnes alias peremo-
 rias exceptiones tēpore vel
 casu perituras pertinere eam.
- §. 13. Quibus personis & casibus
 remedium d. L. competit.
- §. 14. In hac lege saltem præ-
 cedens debitum supponi, secus
 ac in L. Diffamari.
- §. 15. Instituitur per modum
 implorationis. Et quot citati-
 ones ad imponendum silenti-
 um requirantur, ubi varia-
 tio DD.
- §. 16. Triplex provocati actoris
 cautela. 1. An teneatur ede-
 re actionem, & an reus etiam
 exceptiones altioris indagi-
 nis opponere possit? Aff.
- §. 17. At ex instrumento qua-
 rentigato agenti illæ non
 possunt opponi. Quando de-
 finant remedia ex ambabus
 legibus.
- §. 18. 2. Citatum non teneri
 comparere, neque ad silentii
 impositionem damnari posse
 si jus agendi nondum fuerit.
- B §. 19. Af-

- §. 19. *Affirmans sibi actionem mis casibus.*
non competere, silentii im- §. 22. *De primo casu, si debitor*
positionem evitatur. *moroſe solutionem distulerit.*
- §. 20. *Separandum à L. si contendat venite cap. fin. X. de Fidejus. quod explicatur.* §. 23. *De altero casu, si creditor bona sua dilapidare incipiat. Et de tertio, si fidejus or condemnatus jam sit.*
- §. 21. *Regulariter fidejus or ante solutionem ad repetendam pecuniam agere adversus rem non potest; ad se liberandum potest, tribus in pri-* §. 24. *Plures aliae causae allegantur, quibus fidejus or ad se liberandum agere potest.*

§. 1.

DIctum est supra, regulariter in libero arbitrio actoris esse, agere, an vero jus suum dimittere velit. At quemadmodum nulla regula tam firma est, quæ suas exceptions non patiatur, ita vari in jure nostro inveniuntur casus, ubi quoque contra voluntatem, & sic invitus auctor alterum convenire tenetur, nisi maximum præjudicium vel damnum, tum ratione famæ, tum & poenæ corporalis, tum magnæ partis, vel etiam omnium bonorum, pro diversitate circumstantiarum incurrere atque sentire cupiat.

§. 2. Primam necessariò agendi occasionem exhibet duplex lex practica nimirum L. si contendat. 28. ff. de Fidejus. & L. Diffamari s. C. de Ingen. manu- miss. quos textus jam olim, nec non hodie, tam ab advocatis imperitis, quam judicibus incautis non rite distingvi, sed potius omnibus modis confundi, cum tamen toto celo differant, valde conqueritur Mev. P. 7. decisi. 63. & magnum abusum, quo magis ad moleftias

stias aliorum; quam defensionem implorantis utuntur, ostendit idem P. 7. decis. 62. & P. 1. decis. 144. Quanquam ergo utroque casu auctor agere debeat, uterque processus etiam summarius sit, utrumque remedium simul mediante imploratione instituatur, inque effectu respectu silentii impositionis itidem convenient, nihilominus tamen ex sequentibus satis patebit, hæc juris remedia quoad formam, quoad modum procedendi, & denique quoad effectus omnino differre.

§. 3. Evidenter videtur esse mera commenta, quæ Dd. ex utroque textu eruunt, quasi in iis novum ac singulare beneficium ac remedium juris proponatur reis, ut ipsi instar auctoris inchoare judicium, citare auctorem, eum ad agendum compellere & adiungere invitum possint, ut suum jus exerceat, beneficiumque utatur. Quæ pervertere omnem judicij actionisque naturam, turbare eorum rationes, pugnare cum tot. tit. C. Ut nem. inv. ag. & adversari videntur certissimis juris regulis, nemini invito beneficiū injungi, sed unumquemque suo jure, suoque favore uti vel non uti posse.

§. 4. Neque verò tale quippiam in his textibus inveniri, quin ne novi quidem quicquam in iis statui, nèdum tam portentosa quasi remedia juris proponi, ut vices auctoris & rei permutentur, & ex reo auctor ex auctore reus fiat; sed jus commune notissimum ibi referri videtur, ut fidejussores conventi opponere possint exceptionem divisionis, & ingenui diffamati actionem injuriarum aut alias congruam movere, reumque in jus vocare, ut contradicat, seu litem contestetur, vel etiam taceat, & ex causa contumacia jure suo cadat.

cadat. Neque aliud, nedum nova remedia adeò à juris rationibus abhorrentia inde exsculpi posse.

§. 5. Cœterum his non obstantibus receptum horum remediorum usum, verissimo jure subnixum, optimaque ratione suffultum esse, nulli ambigimus. Sane enim ex omni jure, juris quoque remedium aliquoddari necesse est, neque ullum jus est aut concipi potest, quin is, cuius id est, afferere illud sibi ac vindicare possit. Etenim, cùm jus omne hoc cardine vertatur, ut cuique suum tribuatur, pugnant jus competere, & tribuendum non esse ei cui competit: si autem tribuendum est alteri, sequitur ab eo id jus desiderari & peti posse, adeoque juris remedium ipsi competere, quippe quod nihil aliud est, quam jus illud petendi vel persequendi quod suum est. *princ. de Act. L. 51. ff. de Oblig. & Act.*

§. 6. Hoc igitur non jus, sed summa injuria foret, si jus esset & tamen remedium juris deficeret, quo facto ei, cuius est, non tribueretur illud, sed auferretur. Etenim uti alimentis subtrahitis vita auferretur; *L. 4. ff. de Agnoſc. Lib.* ita juris remedio negato jus ipsum tollitur. Ea vero parte pessime audiret merito juris prudentia, nullaque major labes vel macula vel nœvus aut vitium ei affricari posset, quam si, cùm jus esset, juris remedium, id est, illud tribui negaretur, quæ non esset juris ac justitiæ disciplina, sed ei contraria & inimica.

§. 7. Hæc verò acciderent omnino, si v. gr. fidejusforibus & diffamatis non esset consultum hujusmodi remedii. Fidejusforibus enim datum est beneficium divisionis ex epistola D. Adriani, si reliqui fidejusfores tempore litis contestata adhuc solvendo essent

essent: L. 26. ff. de Fidejuss. §. 4. eod. tit. quod tempore peritum est, si cunctante creditore & usuris acquiescente, reliqui fidejussores facultatibus lapsi, non solvendo fierent. Id igitur si metuat fidejussor, omnino permittendum ipfi est, ut hoc jus suum tueri ac proponere possit, ne mora ac cunctatione auctoris intercidat; quo denegato jus ipfi lege concessum non tribueretur, sed denegaretur, & in potestate auctoris esset, qui usuras percipit, iisque & sorti periculo fidejussorum incumbit, excludere hos a suo jure & beneficio. Ac similiter in uniuscujusque potestate esset, ubicunque sibi occurrunt homines, jaetare sibi competere actiones in alios, vel jus quo utuntur non competere, atque ita vagari cum alterius fama & fide. Neque enim statim injuria crimen est, si quis dixerit, se actionem habere, aut alterius jus aliquod non esse: & licet injuria dicta esset, non tamen tutum est, illico actiones injuriarum famosas moveare, & periculum probationis plena, quin & subscriptionis in crimen subire. Audiendus itaque est, si quis neget adversus se actionem esse, & nolit in ea inter homines opinione esse, quod solvere nolit aut non possit, atque adeo contendat id fieri cum praedictio existimationis sua, quam aquae ac reliqua jura tueri potest.

§. 8. Non igitur ad id opus fuit speciali constitutione; nec lege *Si contendat*: aut lege *Diffamari*: tanquam si deficeret hac in parte juris remedium. Verum certissima juris communis ipsiusque naturae ratio sufficit, ex qua sponte sua fluit, atque sine ulla lege alia efficitur regula: quemlibet jus suum qualunque implorato magistratus seu judicis officio tueri

eri posse. Neque equidem ex dictis legibus vel minimum apparet, ut vel Imperatores voluisse novum jus seu remedium constituiere, aut introducere, quod nec Iesus potuit; sed quid juris sit, tantummodo declarant, atque ex communi ratione inferunt & exponunt.

§. 9. Quod vero reis alias non permittitur exceptiones suas ultro ad judicem deferre, atque aetorem ad agendum adigere, non est quod juris defensio deficiat, sed quod periculum. Plane enim tutus est reus, ipsiusque exceptio salva in perpetuum, atque in omnem actionis mota eventum, nec ullo tempore finitur aut excluditur, ut jam dictum est *supr. class. i. §. 3. L. 5. §. fin. ff. de Dol. mal. except.* Cui bono ergo exceptionem proponere, si nemo agat, & exceptione prævertere actionem aetoris, contra naturam ordinem, quo exceptio actioni opponitur: *L. 2. pr. ff. de Except.* cum illa nullo tempore periclitetur, sed actione quandocunque mota salva sit. Quod secus est, si exceptiones tempore periturae sunt, ut quæ fidejussionibus dantur exceptiones divisionis & ordinis; aut si molestæ interim diffamationes siant, tunc enim jus suum, ne pereat, proponere, & quod molestum est, amoliri adito judge potest. Idque jam in singulis remedii dispiciemus, in quæ his præmissis planior erit ac pronior transitus. Ut igitur ordine procedatur, videamus prius *d. legem Si contendat, & quæ notatu digna videbuntur observemus.*

§. 10. Verba istius legis sunt: *Si contendat fidejusor ceteros solvendo esse, etiam exceptionem ei dandam, si non & illi solvendo sint.* Ex hoc textu primùm non videtur inferri, creditorem invitum à fidejusore adagendum

gendum compelli posse, cùm de sola exceptione agat, quæ actioni opponitur: Verùm hoc dubium solvitur in primis ex superioribus, ubi ostensum, non ex hac sola lege, sed ex ipsis naturæ jurisq; rationibus id ultro fluere, *vid. supr. §. 3. & seqq.* sed & ipsa lex haud obscure id confirmat. Sane enim nihil ineptius aut frigidius illa lege esset, si tantum de opponenda creditori agenti exceptione acciperetur, nulla plane dubitandi ratione: cum enim de eo plane constaret ex epistola D. Hadriani, nihilq; vel in vulgus notius fuerit, quam fidejusforibus competere beneficium divisionis si & reliqui solvendo sint, quid in mentem venisset Paulo, id quasi notabile, & JCtis compilatoribus Pandectarum, in speciale legem referre. Quod simile omnino eset quæstioni illi Domitianæ in L. 27. ff. qui *test. fac. poss.* de qua respondet ibi JCtus, valde stultum ac ridiculum esse de ea dubitare.

§. 11. Sed & ipsa verba legis amplius quid præse ferunt: nam & ipsa vox *contenat* agenti magis convenit tribuique lolet. *L. pen C. de Ing. man. L. s. pr. & S. i. ff. de his que ut indign. &c.* Et non satis aptè dictum videretur, dandam ei esse exceptionem, quæ ipsa lege inest, & ex epistola Imperatoris jam data est. In primis vero vox *etiam*, ne ociosa sit, satis ostendere videtur, exceptionem eam, *non tantum à fidejusfore* convenio opponi posse, sed *etiam* dandam ei ultro esse. Equidem usus & praxis extra dubitationem est.

§. 12. Præterea videtur textus noster loqui, de sola divisionis exceptione, & de unico casu, si plures sint fidejusfores & unus metuat, ne reliqui bonis labantur. At ex prædictis rationibus, & juris æquitate paulo penitus inspecta rectè à DD. textus hic ad plures

plures casus extenditur, & provocanti auctorem invitum omnes exceptiones peremtorias, seu etiam tantum pro parte peremtorias, qualis est exceptio ordinis, quæ modò progresu temporis inutiles fieri possunt, eodem modo proponere integrum relinquitur.

Br. ad d. L. Hering. de Fidejuss. c. 25. n. 133.

§. 13. Refugium ergo ad hoc remedium sumit 1. Fidejus for ob confidejusfores, si contendat hos rebus suis non bene prospicere; & quidem contra creditorem, ut invitus etiam & contra voluntatem agat vel adversus debitorem vel fidejusfores simul. 2. Instituitur idem judicium in casu, si debitor ipse male rebus suis consulat, à fidejusfore, itidem contra creditorem, ut actionem principalem moveat contra dubia sortis debitorem, ne exceptio ordinis evanescat. Et 3. tribuitur etiam hoc beneficium omni debitori contra Creditorem, ut actionem quam habet, contra ipsum debitorem instituat, vel patiatur, tam hoc ultimo, quam prioribus duobus casibus, sibi imponi perpetuum silentium. Sæpe enim accidit, quod tertio hoc casu debitor securitati hæredum prospicere velit, ne se mortuo exceptionum ignari circumveniantur; vel si metuat, ne sibi exceptio sua peremtoria inutilis fiat, forte quod saltem in præsenti per testes solutionem, compensationem, vel aliam similem exceptionem probare possit, quod in futurum efficere nequeat.

§. 14. Tribus istis casibus provocatus auctor agere tenetur, sive nolit, sive velit aut pati imponi libi perpetuum silentium, quantum ad id quod prætendit. Supponitur igitur in hac lege saltem debitum, & instituitur sine ulla diffamatione præcedentis debiti alicujus. Utrumque vero se aliter habet in processu legis *Diffamari.* de qua in seq.

§. 15.

§. 15. Circa hunc processum ut summarium notandum, quod instituatur per modum imploracionis, qua provocatur auctor invitus, qui si ad primam citationem non comparuerit, non statim ei imponitur silentium, eti peremptoriè citatus fuerit, sed repetenda dicitur citatio denuo: &, si nec illi paruerit citatus, sententia perpetui silentii ad instantiam implorantis ferenda est, neque tertia citatio tum requiritur. Atque hanc esse generalem Imperii praxin Dd. communiter testantur, eamque in Camera quoque Imperiali probatam ac receptam esse Myns. Cent. 3. obs. 86. Gail. L. 1. obs. 12. n. 4. Mev. P. 8. def. 55. Br. de Process. Civ. cap. 3. n. 29. & 30. Alii unam citationem sufficere existimant apud Myns. d. obs. 86. n. 1., alii tres requirunt, idque receptum esse in foro Saxonico docet Carpz. de Process. tit. 20. art. 3. n. 24. & seqq. sed illi non videntur loqui de peremptoriis. Brunn. requirit, ut vel ter citatus, vel una peremptorià vocazione postulatus fuerit: d. L. 5. C. de Ingen. man. n. 16. qui tamen d. cap. 3. n. 29. communem sequitur, quæ tutior est, cum hic agatur de magno præjudicio absentiis, nimurum de impositione perpetui silentiæ amissione debiti.

§. 16. Ita quoque pro auctore provocato, & actionem principalem instituente notanda triplex cautela. (1.) Si provocatus in judicium veniat, verius quidem est, teneri creditorem edere ac propone actionem, quod & ipsa formula citationis, & ordo processus requirit: sed probatione intentionis ideo opus non videtur, quia implorans eam non negat, sed exceptionibus suis confidit, quas deducere potest & probare tenetur. Neque causari creditor

(18.)

poteſt; exceptiones altioris indaginis, & ideo debitore debitum fatente, reconventioni reservandas esse. Etenim cauſa ſuā naturā ordinaria, non ideo fit ſummaria, quod reus exceptionibus oppofitis, intentionem actoris fatetur: hoc enim ſapissime in cauſis quoque ordinariis accidit, nec naturam processus mutat.

§. 17. Quod si verò provocatus instrumento forte guarentiglato, vel ſimili, liquidum doceat juſ ſuum, cavebit, ne admittat implorantis, qui nunc instituta actione principali reus eſt, exceptiones altioris indaginis. Desinunt enim ambo remedia *L. ſi contendat* & *L. Diffamari*. ſi actor hic, etiam contra voluntatem, in judicio ſe firſtat, & actionem principalem moveat. Tales itaq; exceptiones hic non attendi debent, ſed regulariter finita conventione ad novum judicium remittuntur: quemadmodum enim cauſa reconventionis illiquida, & altioris indaginis, cum cauſa liquida conventionis ſimultaneo processu non tractatur, ſed itidem reconventio separato processu, poſtea conuentione expedita ventilatur, ita quoque hoc loco, ſimiles exceptiones prorsus rejiciuntur: iniquum enim foret, claris & liquidis exceptionibus per illiquidiffimas moram in processu injici. Unde falsa illorum cautela existimantium, ſi quis habeat exceptiones, ut vocant non admissibiles, illas ex lege *ſi contendat* opponi posse, de quo *Berl. P. 2. Dec. 270*, ubi tamen ad l. 38. l. fin. ff. de *Her. pet. Sc.* male respondet.

§. 18. Altera cautela pro huiusmodi aetore notari meretur, ne neceffum ſit comparere, aut provocatum ſe firſtere in judicio, etſi ter citatus ſit, ſi ipſi actori seu creditori in praefenti juſ agendi nondum competat, v.gr. ſi in diem yel ſub conditione debitum fuerit,

(19.)

fuerit, et si obligatio in futurum existere pos sit: dum enim creditor de jure nondum agere potest, nec provocari debet ad agendum, nendum ad audiendas exceptiones, & hinc iudex, sive studio sive ex imprudentia seu ignorantia, nihilominus procedens nihil agit, & totus processus est ipso jure nullus, secuta quoque silentii impositionis vana, irrita, ac ridicula reputabitur.

Carpzov, Proc. tit. 20. art. 4. n. 9. & seqq.

§. 19. Tertia cautela pro provocato attendenda, si ipse sciat se nullum jus agendi habere contra provocantem, ut statim id in iudicio proponat ad primam citationem: hoc enim modo, nullum processum metuet, silentii impositionem evitabit, & per consequens ab expensarum interim faciendarum onere futum se praestare poterit. Cessante enim actione, cesat quoque facultas excipiendi & sic totum judicium. d. I. Si contendat.

§. 20. Cum hac lege præcedenti confundendum autem non est aliud fidejussoris remedium, quod sedulo tractatur in jure communi, & paucis repetitur jure Can. in cap. fin. X. de Fidejussor. ubi fidejussor ante solutionem agit contra debitorem, ut se à fidejussione liberet, & tres quidem ibi Pontifex causis, quibus id accidere pos sit, ex jure Romano proponit. Nimirum, si debitor insolitione morosus fuerit, vel bona dispare incipiat, aut fidejussor ipse jam tum condemnatus sit, ut solvat. Hisce vero modis non agit fidejussor ob confidejussores, ut provocans, multo minus provocat creditorem ad agendum, sed tantum debitorem convenit, non quidem, ut præcise agat debitor, sed tantummodo, ut se liberet ab obligatione fidejussionis, per consequens nec termini habiles existunt, vel actoris contra voluntatem agentis,

C 2

vel

vel rei ad agendum provocantis. Imo fidejusor non obstante hoc remedio creditori nihilominus obligatus manet. Cum vero hoc quoque peculiare fidejusoris beneficium sit & affine videatur, paucis illud delineabimus, ut eo melius ab hoc & sequentibus remediis distingvi possit.

§. 21. Inprimis igitur notandum est, hanc esse regulam, ne fidejusor habeat regressum contra debitorem principalem actione mandati vel negotiorum gestorum contrariâ, ad repetendam pecuniam, nisi ex quo rite solvendo, aut aliter satisfaciendo, liberavit debitorem à Creditore. Conf. L. 10. §. 11. §. 13. L. 14. pr. L. 29. princ. §. 1. & §§. seqq. L. 45. princ. & §§. seqq. L. 47. pr. & §. 1. L. 56. §. 1. ff. Mandat. L. 10. C. eod. tit. &c. Hoc enim negotium est quod fidejubendo suscepit, neq; adeo ei, qui fidem nondum implevit, ad repetendum, quod nondum solvit, jus competere potest. Verum et si actio ante solutionem non detur ad repetendum, sunt tamen casus speciales, quibus ex aequitate agere potest, ad se liberandum. Et hoc est quod accurate distinguitur in L. 45. §. 5. ff. Mandat. ante solutam pecuniam aliquando quidem faciendi, sed non dandi causâ agi posse, id est, agi ex certis causis posse, non ad repetendum, quod solutum nondum fuit, sed ad liberandum fidejusorem: & haec causæ exponuntur in L. 38. §. fin. ff. L. 6. L. 10. C. Mandat. L. 45. ff. de Fidej. & d. cap. fin. X. eod. tit.

§. 22. Prima causarum traditur, si debitor solutionem morose distulerit: vid. d.d. L.L. cum enim fidejusor à tempore moræ non solum in sortem, verum & ad usuras teneatur, hinc si non in tempore vigilaret fidejusor, ejus conditio deterior fieret, & ita te-

(21.)

tenetur non tantum in b. f. negotiis, iuxta L. 4. C. De-
pos. & L. 5. C. de Ad. Emt. & L. 49. eod. verum etiam in
contractibus stricti juris, quando pena promissa, i.e.
wann der Bürger capital Schaden und Unkosten zu
ersetzen sich bürgerlich eingelassen / procedit. L. 2. C. de Fi-
dejuss. L. 8. C. quod cum eo qui in alien. potest L. 10. C. de Fi-
dejuss. Accedit & alia ratio iuxta Gail. L. 2. obs. 29. n. 2.
ne fidejussor in perpetuum obligatus maneat ex debi-
toris morâ, & pro beneficio suo ob maleficium debi-
toris, damnum & incommode sentiat.

§. 23. Secundæ causæ ratio in eo consistit, ne
creditoris morâ, cunctatione, ignorantia, vel etiam ma-
litia fidejussor regressu suo privetur, ipsiusque actio
in debitorem principalem inanis ac elusoria reddatur
si debitor dissipare bona, & facultatibus labi incipit,
qua desumpta est ex L. 10. C. de Fidejuss. d. L. 38. in fin.
ff. Mandat. Conf. L. 41. ff. de Judic. d. Capit. fin. Et deni-
que tertia causa est, ubi fidejussor ad solutionem jam
condemnatus est, cuius sufficiens & satis prægnans
ratio quoque reputatur ad evitandam executionem.
juxta d. L. 10. L. 38. §. 1. ff. Mandat. & l. 45. ff. de Fide-
juss. d. capit. fin. Per sententiam enim condemnatus
jam est proxime soluturus, & paria sunt, jam solvisse,
& in eo esse, ut res afferenda sit. Quin execu-
tione decreta & statuta, videtur illud jam desisse in bo-
nis & facultatibus fidejussoris esse, perinde ac si solu-
tum jam esset, nisi executioni surrogetur debitor ip-
se. Aequitati ergo conveniens est, ante executionem
sententia fidejussori subsidio aliquo juris succurri.
L. 11. ff. Mandati

§. 24. Coeterum præter has tres causas a Pon-
tifice exjure civili depromptas, & aliæ ex eodem jure
pe-

peti possunt. Veluti (1.) si fidejussor domi pecuniam non habebit, qua numerata creditor, actione mandati conveniat. *L. 38. in f. ff. Mandat.* & *ibi gl.* Iniquum enim est fidejussorem morā rei eo necessitatī redigi, ut teneatur expectare judicium & sententiam, cum neque ipse solvere possit, neque adeo regressum habiturus esset. (2.) Si teneretur ex instrumento, quod parata habet executionem, quia illud instar sententiæ est. *Cofthal. in d. L. 38. ff. Mandat.* (3.) Si fidejussor pacto se ad tempus tantum obligavit, manet enim non obstante pacto obligatus, sed lapso tempore ad se liberandum agere potest; uti & si quovis alio modo id pactus fuerit. *L. 10. C. Mandat. Salic. ad d. l. 38. in f. Brunn. ad d. L. 38. n. 4.* (4.) Si fidejussori ex probabiliti causa longa peregrinatio suscipienda est. *arg. L. 23. & 24. ff. de Procurat. Cofthal. ad d. L. 38. Brunn. ibid. n. 4.* (5.) Videtur etiam justa causa esse, si inimicitiae capitulo superveniant per *L. 21. ff. de Procurat. Brun. d. loc. n. 4.* quod alii admittunt in casu, si reus causam eis dederit. *Barth. ad d. l. 38.* Verum magis dicendum videtur, quod ea causa quidem mandatarium suspectum reddat ad agendum, non verò liberet à solvendo. (6.) Si fidejussor expromiserit; quia & hoc factō reum liberavit. *L. 26. §. 3. ff. Mandat.* Verum hoc tum probari potest, cum ex causa expromissionis fidejussor jam solvere tenetur, uti cum ex ea causa jam condemnatus est. *l. 45. §. 4. ff. eod.* (7.) Si fidejussor oblatam & obsignatam pecuniam petente creditore publice depositus. *L. 56. §. 1. ff. eod. Glos. & Dd. ad d. l. 38.*

CLAS-

(23.)
CLASSIS III.
DE
ACTORE ex L. 5. C. de Ing. manu-
mis. in specie agente.

SUMMARIA.

- §. 1. Hactenus de L. Si contendat, sequitur L. Diffamari in praxi receptionis. §. 6. Citatio ex hac lege non decernitur, nisi diffamatio summarie probata sit.
- §. 2. Ipsa juris ratione quoque diffamatis omnibus modis provisum esse. §. 7. Diffamator contumaciter absens pro confesso habetur.
- §. 3. Uti in L. Si contendat, debitum, ita in hac lege praecise diffamatio supponitur. §. 8. Quomodo diffamatorius processus desinat. De probacione diffamationis.
- §. 4. Latius est hoc remedium priori, & ad omnes causas extenditur. §. 9. Singulare quid in ambabus legibus ratione fori.
- §. 5. An per abusum fiat, quod cum actione injuriarum concurrere soleat, ut voluit Mevius? Non videtur. §. 10. Variæ inter L. Diffamatori, & injuriarum actionem differentia.
- §. 11. Citatio ex hac lege præventionem non inducit. An utraq; lex cumulari posse?

§. I.

A Ctore ex L. Si contendat, invito provocato, & hactenus a nobis explanato, dicit nos ordo, ut alterum actorem similem sicutamus & examinemus, ex L. Diffamari s. C. de Ing. & man. provocatum, qui tex-

tus per constitutiones Imperiales & Ordinationem Camer. P. 2. tit. 25. approbatus ac de novo confirmatus est, adeo, ut frustra hodie de praxi ejus in foro recepitissima, & suam utilitatem quoque continente disputetur.

§-2. Jam ante Clasf. 2. §. 5. & seqq. vidimus, etiam deficiente illa lege, ex ipsa juris ratione quoque provisum esse diffamatis, ut, licet injuria proprie commissa non sit, nec adeo injuriarum agere possint, si tamen qualiscunq; molestia diffamando, actionesq; adversum nos jactando nobis creetur, adito judice impetrari saltem possit, ut vel sileat diffamator, vel actionem instituat. Etenim Impp. rescribunt ad casum præteritum, eumque ex recepto jam jure decidunt, non novum jus faciunt, quippe, quod ad præterita extendendum non eset. Sed & ex hac quoque lege appetat, eam esse illius sententiam, ut diffamatio remedium instar actionis paratum esset, ad silentium diffamatori imponendum. Etenim & is, cui status quaestio mota fuit, interpellasse judicem, & hic citas se diffamatorem, ac ita definitivse causam dicitur, ne ille diffamatum amplius inquietaret. Aut igitur comparuit citatus, & causâ cognitâ alter absolutus fuit, aut non comparuit, & idem effectus in contumaciam sequi debuit, & fecutus est, quia in omnem eventum prospexit judex, ne diffamatus inquietudinem pateretur. Neque sane mitius agi potuit, quam ne diffamare perseveret. Quod si vero non obstante sententia, diffamatio nondum conticebat, tum injuriarum actio necessaria esse dicitur. Videamus igitur hujus remedii causam.

§. 3. Ad differentiam vero legis *Si contendat,*
statim

(25.)

Statim ab initio animadvertisimus, sicuti in *L. si contendat* simpliciter debitum supponitur, propter quod auctor in judicium vocatur sine ulla diffamazione, ita præcise in hac lege supponitur præcedens diffamatio, qua provocanti præjudicium infertur, a parte provocati & auctoris, qui itidem à provocante ex hac lege judicio comparere tenetur.

§. 4. Latius vero est hoc remedium ex *L. Diffamari* lege præcedenti, imò latissimum, & pro omni causa competens, quā auctorem vel diffamationem verificare, vel sibi perpetuum silentium imponi, ferre oporteat. Extenditur ergo hoc remedium iu praxi ad omnes causas civiles & criminales, reales & personales, petitorias & possessorias.

§. 5. An vero etiam concurrat cum ipsa actione injuriarum, ancipitis quæstionis est. Licet autem id foro receptum esse fateatur Mevius, vir summus, tamen in eo multus est, ut ostendat, per abusum id fieri, nec rationi juris convenire, quemadmodum & generaliter in hujus remedii abusus invehitur *P. i. decis. 144. per tot.* Verum pace viri monere liceat, omnibus remediis advocatos, si velint, abuti posse, neque tamen ideo usum eorum tollendum esse. In hac vero quæstionis specie, quod tum quoque detur hoc remedium, cum & actio injuriarum moveri potest, nihil à jure alienum videtur. Etenim liberum cuiq; est mitius agere, & sic si diffamatus posset, alterum actione famosa injuriarum convenire, ad pœnam infligendam, cur minus permisum ipsi eslet petere, ut salva fama, & nulla pœna dictata, saltem ab injuria in posterum temperet, quæ Dni Mevii

D

præ-

(26.)

principuæ rationes sunt: Inter abusus referendum est, quod diffamatus convitiatorem ad suum forum trahat, sibi enim id alter imputet, quod incusatione sua, non in loco competente facta, causam ipse ei rei dederit. Licet vero nec ordinaria actio competat, & hoc remedium videatur extraordinarium, hoc tamen eligi potest, si mitius & tutius sit *Franck ff. de integr. ref. n. 8.* Neque absurdum videtur, nedum ridiculum, diffamatum contendere, ut convitiator actione mota probationem suscipiat, qua re hoc efficiatur, ut ea, quemadmodum provocans confidit, deficiente, de sua innocentia appareat, nec minus hoc facto purgatus videbitur pudor ipsius, quam si mota actione, ob probationis defectum obsolitus esset. Cum igitur nec reliqua, quæ affert, momentum faciant, reetius remedii cautam tuentur & commendant alii *Carpz. de Proces. tit. 20. art. 1. n. 7.*

§. 6. Non vero ad hunc processum ita facile panditur via uti in L. præcedenti, nam antequam citatione aliqua, etiam prima, a judice decernitur, non sufficit oblatio supplicationis à parte provocantis, seu implorantis ex L. *Diffamari*, et si in eo libello prolixæ ac singulis circumstantiis diffamatio circumscripta, ac descripta esset, verum præcise alia informatione, quæ judici majorem diffamationis fidem facit, quam sola propositio provocantis. Quo fine ergo summa probatio, seu quæ instar semiplenæ censetur à parte diffamati querenda, & judici tradenda, antequam in ius vocationem ex hac lege decernat. *Brunn. Cent. 5. decif. 64.* uti vero ad solam impetrandam citationem summa iusta probatio, ita ad impositionem perpetui silentii plena desideratur.

§. 7.

§. 7. Hoc ultimum vero, quod de plena proba-
tione dictum est, intelligimus de casu, si provocatus
compareat, imputatamque diffamationem neget: si
enim contra ipsum in contumaciam judex procedat,
& sic, ut Clasf. 2. §. 15. expositum est, citatus ac po-
stulatus hic actor, at contumaciter absens, actionem
non moverit, ob quam diffamatio facta, tum etiam si
ne ulla ampliore probatione, ad summariam priorem,
in poenam contumacia, pro confesso habetur, (quem
admodum ultimum sub hac comminatione diffama-
tor regulariter citari solet) & perpetui silentii im-
positio sequitur, atque in eo quoad silentii impositio-
nem & citationem, cum antecedenti lege coincidit.

§. 8. Desinit vero totus hic processus diffama-
torius, si actor seu imploratus veniat, actionemque in-
stituat, diffamationisque probationem aggrediatur.
Quoties enim provocatus agit, toties in effectu habe-
tur ac si nunquam provocatus fuisset, & tunc non
amplius summariter, sed ordinario modo causa venti-
latur, inde quoque exceptions dilatoria tunc in ju-
dicio, tanquam principali, à parte provocantis oppo-
ni possunt, & summarius tantummodo dicitur proce-
sus tamdiu, quamdiu ex L. *Diffamari* provocans agit
ob diffamationem & actor seu imploratus actionem
nondum instituit. *Mev. P. 8. decif. 234. n. 4.* Manet ve-
ro, neque exspirat processus diffamationis, si compa-
reat quidem actor, actionem vero non instituat, sed
saltem diffamationem neget: quo casu, ut fiat impo-
sitio perpetui silentii, a parte diffamati, plene diffa-
matio probanda. In qua probatione id singulare exi-
stimandum, aliam nimirum non admitti, nisi quæ fit
vel per testium juratorum depositiones vel instru-

menta liquida & recognita. Juramenti enim judicialis delatio super facta diffamatione hic non est permissa. *Mev. P. 3. decif. 393.* Processus enim hic præparatorius est ad ordinarium, in quo non sufficit juramentum diffamatori deferre. Quod eo minus permittendum est, quia temerari videtur jurisrandi religio, quod ideo tantum defertur, ut defens inficiant diffamationem vel iactationem eam obtrudat, cuius nullum testem habeat.

§. 9. Effectus quoque hujus legis, seu potius processus, ex hac & præcedenti lege instituti atque formati, redditur singularis respectu fori, nam qui provocat, ex utraq; lege auctorem huc provocatum ad suum, sc. implorantis seu provocantis forum seu judicium trahit, quod adeo verum est, et si antagonista meus alibi judicium quæsiverit, v. gr. per modum arresti, ut quando bona mea alibi arrestavit, vel si privilegium fori habeat, v. gr. si sit clericus, studiosus, miles &c. *Mev. P. 6. Dec. 9. num. 6.* nam tunc nihilominus ex hac lege adversarium compellere possum, ut in meo foro competenti actionem moveat. *Mev. P. 5. Dec. 112. & 222.* Diffamator enim nullum allegare valet privilegium ratione fori, cum non conveniatur ut reus, sed ut provocatus auctor, cui agere injungendum, auctor vero actionem instituere volens, qualitercumque privilegiatus sit, forum rei in causa principali sequi tenetur. *Mev. P. 3. Dec. 113.* Si vero reus seu provocans ex *L. Diffamari* plura habeat fora, non præcise in illo comparere tenetur creditor, quod elegit reus, sed ipse eligere poterit auctor, in quo foro velit de causa vel exceptione cognosci, quod idem obtinet in procesu. *L. Si contendat. Zanger. de Except. P. 3. cap. 26. n. 208.*

§. 10. Pe-

§. 10. Penitus vero separandus est hic processus à processu injuriarum, qui saepe ex ignorantia confunduntur. Lex enim *Diffamari* 1. non est actio injuriarum, vel remedium paratum ad diluendas injurias, & purgandam existimationem, sed ad præstandom securitatem contra metum alienæ imputationis. Actio enim injuriarum ad reparandum honorem, aut vindicandam contumeliam instituitur; alterum vero judicium ad manifestandam veritatem tendit, aut ut jam dictum, ad consequendam adversus id quod diffamatione imputatur, securitatem. 2. Remedium *L. Diffamari* extraordinarium de jure est, actionem vero de injuriis Prætor dedit ordinariam. 3. Latior est imploratio ex *L. Diffamari* injuriarum actione, prior enim competit etiam iis in casibus, ubi haec non obtinet, & ubi proprie injuria non est. 4. In actione injuriarum principaliter desideratur animus injuriae inferenda in contumeliā alterius, adeo, ut convitii quoque veritas neutiquam excusat convitantem, verum in *L. Diffamari* animus injuriandi non attenditur, sed nihilominus diffamator tenetur diffamationis suæ, sive dictæ sive scriptæ rationes reddere, quo cunque etiam animo dictum scriptumve fuerit, adeoque actioni injuriarum semper locus est, et si objecta quoque sint vera, modo animo injuriandi prolatæ. *L. 18. ff. de Injuriis. Gail. L. 2. Obs. 99. num. 1.* Lex *Diffamari* autem, ubi vera non sunt, quæ dicuntur, et si sine animo injuriandi prolatæ, si enim veritas probari posset à diffamatore, hoc remedium legis *Diffamari* cesaret, nullumque effectum haberet. Mittimus alias differentias, uti, quod actio injuriarum sit famosa, penalis, finiatur anno, aliterque in ea & procedatur, & cognoscatur,

scatur, & pronuncietur quam in diffamatorio. Et hinc quoniam diversissima sunt, diversaque supponunt, diversumque effectum post se trahunt. Et præterea alterum alterius præparatio est, nec utriusque petitiones apte conciliari queunt, vid. *Carpzov. Lib. 2. Rep. 57.* inde in uno eodemq; libello cumulatim jungi non posunt. *Finckelthaus. Obs. 55.* sed à prudentibus causarum patronis, antequam instituantur, probè separanda & perpendenda hæc duo remedia, quod nam præ altero competit, clientiq; suo magis utile ac proficuum sit.

S. 11. Hinc apparet, citationem ex hac lege non inducere præventionem in causa principali, sed eam induci citatione in ipsa causa principali factâ. *Gail. Libr. 1. obs. 11. in fin. Carpz. d. L. 2. Rep. 34. Mev. P. 1. decis. 198. & P. 3. decis. 350.* Denique in dubio cumulari utramque legem, cœteris paribus posse, non dubitamus. *arg. L. 1. § 4. ff. Quid legat.* Hæc satis pro instituto de utraque hac lege. Plura de iis videri possunt apud *Carpz. de Process. tit. 20. per tot. & de diffamatione apud Cœsar. Contard. & Blarer. integro traditu ad d. L. Diffamari.* qui tamen pleraque aliis remediiis communia miscuit, eumque fere contraxit *Gilhaus. Arb. Jud. Crim. Cap. 2. tit. 34. n. 95. ss. seqq.*

CLASSIS IV.

DE

RELIQVIS ACTORIBUS NECES- SARIO AGENTIBUS.

D³ SUMMA-

(31.)

SUMMARIA.

- | | |
|------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|--------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|
| §. 1. Ex suscep ^t to munere tutores quoque & curatores obligantur ad agendum. | §. 7. Venditor evictionem em- tori praeflare tenetur. |
| §. 2. De inventario eorum. | §. 8. Qui actionem movit sine refusione impensarum ab ea recedere nequit. |
| §. 3. Ante confirmationem gestio eorum regulariter nulla est. | §. 9. Tres alii casus recensentur, quos DD. & Heigius ad alterutram legem referunt. |
| §. 4. Protutores ex administratione itidem ad agendum obligantur, et si confirmatio cesseret. | §. 10. Id vero refellitur, & casus explicantur. |
| §. 5. Negotiorum gestores alterius negotia suscipiendo inviti obligantur, & culpam levissimam præstant. | §. 11. De abusu dictorum remediiorum. |
| §. 6. Syndici nomine collegiorum agere tenentur, & in eos processus dirigitur, at male dicuntur esse cum libera. | §. 12. L. 9. ad Sct. Silan. huc non pertinet, quoniam mors defuncti, prævia denunciatio judici facta, hodie criminaliter vinaicatur. |

§. I.

Talis quoque actor, qui de jure necessario agere debet, invenitur in materia tutelæ & curæ, quæ tutela ratione originis meri juris positivi est, seu Civilis, (non obstante §. pen. Inst. de Atil. tut.) eoque jure tutor seu curator ratione officii ad agendum in causa pupilli & minoris obligatur. Hi actores equidem non provocantur ad agendum, ut antecedentes, vi alienius remediti preparatorii, seu implorationis officii judicis, sed ex suscep^tto munere publi-

blico, quo ad agendum & gerendum adstringuntur, cum ut evitent actionem tutelæ, quæ alias pupillis competeteret, tum ut eo accuratius tutelâ seu curatellâ finitâ, pupillis minoribusve suis rationes reddere queant. Et haec actiones tutorum, quæ nomine minorum & pupillorum moventur, variae sunt pro ratione circumstantiarum, modo enim ob nomina pupillaria activa, modo ob nomina passiva, quando pupilli & minores conveniuntur a creditoribus, quo rite tunc defendantur, modo ob alias causas lis movetur, interdum quoque a defunctis parentibus ad eos, ut hæredes, processus transfertur.

§. 2. Fundamentum autem reddendarum rationum, & ut hi actores rite officio suo fungantur, in tempore agant, omneque præjudicium ac damnum futurum evitent, est ipsum inventarium patrimoniorum, tum pupillorum, tum minorum. Hujus vero omissione tutorem ex præsumtione juris constituit in dolo, & inde ad omne interesse tenetur tutor, praeter poenam extraordinariam atque infamiam, aestimaturque res juramento in litem. *L. 7. pr. ff. de Administr. & peric. tut. L. f. §. 1. C. Arbitr. tut. Myns. Cent. 2. obs. 37.*

§. 3. Caveant tamen hujusmodi actores ne aliquid agant hodie ante confirmationem, & decretum Magistratus. Alias enim actus antea gesti sunt ipso jure nulli. *Myns. cit. loc.* Non tamen exinde sequitur, quod hodie omnes tutores sint dativi, nam vi hujus decreti non constituitur tutela, utpote quam jam ante vel testamento vel ipso jure, seu lege constituta est, sed tantummodo gestio permittitur. Excepitur saltem casus & actus, qui moram non fert, tunc enim omnis administratio solet admitti, & alias quod

quod constitutum est in favorem pupilli, in ejus damnum redundaret, quoniam periculum in mora est.

§. 4. Quod de tutoribus & curatoribus confirmatis diximus, idem extenditur quoque ad protutores, *juxta t. t. de eo quod pro tut. vel curat.* nam & hi eo magis pro pupillis atque minoribus vigilare, nec non contra tertium agere, adeoque jura dictarum personarum observare, atque defendere compelluntur, et si eorum nulla facta confirmation judicialis. Quemadmodum enim confirmati tutores ob metum actionis tutela contra tertium, nomine pupillorum & minorum, agere compelluntur, ita quoque ob metum actionis protutelæ qui pro tute & pro curatore gerunt, idem observent necessè est: nam hæc actio introducta est ad exemplum tutelæ, ejusque naturam imitatur: *L. pen. ff. de eo qui pro tut. &c.* uti enim tutelæ actio est directa & contraria, ita quoque actio protutelæ talis constituta, eademque utrobique culpa, ac diligentia praestanda est. *d. L. pen. ff. eod. tit.*

§. 5. Huc quoque referendi sunt omnes rerum alienarum administratores, uti negotiorum gestores, qui alterius negotia sine mandato domini sponte gerendo, se alteri ad rationes reddendas, & alterum libi ad indemnitatem praestandam adstringunt: *§. 1. instit. de act. que q. ex contract. nasc. & hi obligantur,* etiam si alterius utilitatem promovere in animum non induixerint, *per L. 6. §. 3. ff. de N. G.* Verum in præstacionibus durior eorum conditio est quam superiorum, & culpam levissimam seu diligentiam exactissimam præstant, *per L. 25. §. 16. ff. Famil. Ercisc. §. 1. Instit. de Oblig. que q. ex contract. nasc. L. 21. C. Mandati.* Hæc vero materia negotiorum gestorum antecedenti latior est, & plura negotia continet, protutela enim

E

cau-

causas negotiaque minorum pupillorumve solummodo supponit, hæc omnium.

§. 7. Easdem horum auctorum necessario agentium suscipiunt quoque vices Syndici Civitatum, Universitatum, & omnium Collegiorum licitorum. His enim competit jus & potestas omnes lites in iudicio nomine universitatis agendi & administrandi. L. 1. §. 1. L. 6. §. 1. ff. quod cujusque univ. nom. vel contra. Hinc totus processus in eos dirigitur, omnesque citationes ad eos mittuntur: indeque formula: In Sachsen Syndicen der gemeine &c. Non tamen gaudent universali mandato, seu, uti loquitur jus canonicum, cum libera. Hinc non transfigunt libere, nec juramenta deferunt, quicquid in contrariam statuant Dd. L. 18. §. 13. ff. de Muner. & honor: & L. 17. §. f. ff. de Jure. L. 60. de Procurat. Perilluſtr. Dn. Praeses in Lection. Lau-terb. ad tit. Quod cujusque univ. Hæc enim potestas cum libera, quæ prorsus eadem est cum universali, Perilluſtr. Dn. Praeses ad tit. ff. de Procurat. refutatur ex ipsa definitione Syndicatus. Syndicus enim habet mandatum generale ad agendum, hoc vero non est cum libera, seu universale, hoc enim omnia judicialia & extrajudicialia negotia comprehendit. Econtrario qui saltem instruetus mandato generali ad agendum, nec transfigere nec juramentum deferre potest, ista enim vel speciale mandatum requirunt, vel tantummodo in universali procuratore locum obtinent. d. L. 17. Imo Syndicus, quia tantum litium est administrator, hanc potestatem exercere nequit, quia dum transfigit, non administrat item, sed ab ea recedit; item si juramentum defert, eo ipso quoque transfigit de lite, quoniam juramenti delatio est species transactionis, & post juramentum à lite receditur. L. 2. ff. de Jure.

§. 7. Spe-

(35.)

§. 7. Spectant quoque ad hanc classem similium aëtorum, omnes illi, qui obligantur contra tertium agere, vi legis vel negotii celebrati. L. 13. §. pen. de Act. Emt. L. 75. §. f. de Leg. 1. Sic y. gr. venditor emtorem in securitate constituere compellitur possessionis rei venditæ, &c. si turbetur emtor, convenire potest venditorem, ut agat contra turbantem. Quod tum admitti potest, cum emtor in possessionem vacuam nondum venit, alio possestionem tenente, & se potiorem profitente, tum enim emtor actione emti venditorem adigere potest ut in possestorio agat, & vacuam possestionem tradat. Fransk. Exerc. 11. quæst. 2. Item si res vendita ante traditionem furto subtraëta sit, tunc & venditor ipse agere debet contra furem, vel actionem cedere, quemadmodum hi aëtores regulariter liberantur, si actiones cedant L. 5. §. 12. ff. Commod.

§. 8. Denique in hac materia prætereundum non fuit, omnes aëtores qui semel actionem moverunt, teneri illam prosequi, nam quamvis ante motam actionem, in libero stet cujusque arbitrio, agere, an cedere velit, nihilominus si forte antea non satis deliberavit aëtor, viâ processus semel eleëta, amplius liberae voluntatis non est, pro lubitu actione instituta abstine-re, sed vel persequi litem, vel impenias refundere, omniaque damna præstare tenetur, prout jura ordinesque processuum clare disponunt.

§. 9. Sunt vero & alii casus, quos DD. ad alterum legem referunt, ut 1. Quod liberi nondum mota lite petere possint, se pronunciari legitimos. 2. Quod possestori Comitatus petere posit se declarari comitē, ad suæ possestionis confirmationem. 3. Si generalis constitutio edita est, quæ privatorum privilegiis præjudicat, quod peti possit, ut declaretur, constitutionem

(36.)

eo non pertinere &c. *Heig.* P. 2. quest. 8. num. 8. & seqq.

§. 10. Verum duo priores casus, si nulla diffamatio præcessit, inepti sunt. Neq; enim est, quod in judicium deducere posint, non liberi jus legitimum, quod nemo diffamando in controversiam vocat; neque exceptionem, quæ nulla supponitur: uti nec possessor castris, ob easdem causas. Quodsi vero vel diffamatio probatur, vel exceptio, nihil in eo singulare est. Et fallitur *Heigius*, *JCtus* alias *doctissimus*, cum ad autoritatem *Bartoli*, in *L.* *Uti frui s. ff. si usufruct. pet.* provocat, qui nihil ibi de hujusmodi remediis, sed de negatoria tractat. Sed nec tertia species congruit. Aut enim constitutio ad ea privilegia non pertinet, & nulla adeundi judicis causa est; aut eò pertinet, & frustra imploratio fit; aut dubitatur an eo pertineat, & declaratio petitur à constitiente, quod hujus loci non est.

§. 11. Non' igitur vagari extra oleas cum his remediis oportet, sed intra fines illa coercenda sunt, sc. si vel diffamatio docetur, vel exceptio aut jus aliquod tempore peritum, aut in deterius casurum metuitur, aut si quis ex suscepto, aut injuncto negotio ad gerendum & agendum adstrictus sit.

§. 12. Videtur quoque *L. 9. ff. ad Sct. Silan.* huc pertinere, ubi hæres compellitur mortem defunctori vindicare. At quoniam vindicatio hæc hodie simpli citer publica esse debet, & sufficit, si hæres judici delictum denunciet, per consequens non per modum actionis, sed mediante procesu criminali talis vindicta querenda, & delictum puniendum, studio ejus textus explanatione superfedemus, ac summi Numinis nomine huic Dissertationi finem imponimus.

S. D. G.


ULB Halle
002 376 954

3



sb

VD18





F.33. num. 8.
D. 4.

18
 DISSERTATIONE JURIDICA
ACTOREM
AD AGENDUM
INVITUM, 1709, 5
J. H.
IN ILLUSTRI VIADRINA
P RÆ S I D E
PER ILLUSTRI AC GENEROSISSIMO DOMINO,
DN. HENRICO COCCEJO,
 JCTO EXCELLENTISSIMO,
 AUGUST. ac POTENTISS. BORUSSIAE REGIS
 CONSILIARIO INTIMO,
 FACULTAT. JURID. ORDINARIO, & ANTECES-
 SORE PRIMARIO,
Domino, Macenati, ac studiorum suorum Promotore,
pio cultû, aeternum venerando,
 Ad D. IX. Mart. Ann. M DCCIX.
 exhibet
JOH. HENR. SIMONIS, March.

*****!*****?*****

FRANCOFURTI ad VIADRUM,
Literis CHRISTOPHORI ZEITLERI.

KÖNIGLICHE
UNIVERSITÄT
ZU HALLE

